

DE CELEBRATIONIBUS DOMINICALIBUS ABSENTE PRESBYTERO IUXTA DIRECTORIUM «CHRISTI ECCLESIA»

SUMMARIUM: Breviter adumbratis rationibus quae Directorium «Christi Ecclesia» commendant, Auctor illud examini subicit sub aspectu canonico-pastorali, hoc schemate: I. Praemissae de sensu et momento diei dominicae pro Ecclesia deque eius congrua observantia. II. De mediis suppletivis celebrationis dominicalis, postquam constat de impossibilitate celebrationis plenae, quibusdam exclusiis, aliis vero commendatis. III. De conditionibus ad celebrationem deque ipsa celebratione sub aspectu sive canonico sive liturgico. IV. De animadversionibus et votis, insequendo praecipua capita quae difficultatem possunt generare in hac materia. In fine extollit praetium Directorii tam ratione methodi adhibitae quam arctiore necessitudine inter christifideles laicos et clericos, quam favet.

Congregatio pro Cultu Divino publici iuris fecit, die 2 iunii 1988, Directorium *Christi Ecclesia* «de celebrationibus dominicalibus absente presbytero»¹. Agitur de subsidio ad executionem commendationis stantis in can. 1248, § 2: «Si deficiente ministro sacro aliave gravi de causa participatio eucharisticae celebrationis impossibilis evadat, valde commendatur ut fideles in liturgia verbi, si quae sit in ecclesia paroeciali aliove sacro loco, iuxta Episcopi dioecesani praescripta celebrata, partem habeant...»

Non est quaestio, proinde, de lege nova unquam edenda nisi «de specifica approbatione Summi

¹ *Notitiae* 24 (1988) 366-378.

Pontificis»²; sed merito submissa fuit eius approbationi et confirmationi «in sensu communi»³, iuxta praescripta Constitutionis *Pastor Bonus* quoad «decisiones maioris momenti» ex parte Dicasteriorum⁴. Directorium est et pergit esse documentum Congregationis, cui tamen auctoritas superior novam vim iuridicam addit.

Plures sunt rationes quae valorem et opportunitatem supradicti Directorii commendant, nempe:

— fructus est experientiae, ut adnotat ipsa Congregatio in prolusione quadam ad textum: «la Santa Sede, attraverso indicazioni e orientamenti generali, e parecchi vescovi, nelle loro Chiese particolari, si sono occupati di questo argomento. Il Direttorio ha approfittato dell'esperienza di tutti questi interventi, per valutare i vantaggi e nello stesso tempo i possibili limiti di tali celebrazioni»⁵;

— obviam venit necessitati in dies invalescenti propugnandi valorem christianum diei dominicae contra dilagamem saecularizationem, cui plures favent causae, gravi cum discrimine pro ipsa vitae christianae existentia, immo et pro ipsa cultura occidentali⁶;

— natura iuridica textus, cuius est normas executivas iam datas systematice colligere et, si casus

² Const. Apost. *Pastor Bonus*, 28.6.1988, art. 18, in AAS 80 (1988) 841-934.

³ Cf. L. DE LUCA, *Confirmatio apostolica accidentalis*, in *Studi economico-giuridici* 31 (1947-1948) I, p. 3-135.

⁴ Cf. Const. Apost. *Pastor Bonus*, art. 18.

⁵ *Notitiae* 24 (1988) 362.

⁶ Cf. CONFERENTIA EPISCOPORUM GERMANIAE ET CONSILIUM ECCLESIAE EVANGELICAE GERMANIAE, *Declaratio communis de die dominica*, apud *Herder Korrespondenz* 4 (1988) 182-187. Dantur versiones italica (*Il Regno-Documenti* 33, 1988, 348-352), hispana (*Phase* 28, 1988, 544-554).

ferat, complere simul ac normarum rationes et proposita tradere ut eae aptius executioni mandentur⁷; adiungas quoque indolem generaliore textus et explicitam declarationem: «Conferentiarum episcoporum erit, si casus ferat, normas ipsas pressius determinare easque diversorum populorum ingenio et variis adiunctis aptare, et de ipsis Apostolicae Sedem certiorum facere»⁸. Ex quo patet voluntas Apostolicae Sedis auxiliandi magis quam constringendi Episcopos territorii⁹.

Quoad rationem tractationis notum est nos detineri in aspectu canonico-pastorali, ceteris aliis auctoribus relictis¹⁰.

I. PRAEMISSAE

1. Ut argumentum «de celebrationibus dominicalibus absente praesbytero» melius in suo contextu ponatur, expedit nonnulla praemittere, iuxta methodum ipsius Directorii, de sensu et momento diei dominicae deque eius congrua observantia.

⁷ De natura huius instrumenti iuridici cf. J. OTADUY, *Un exponente de legislación postconciliar: los directorios de la Santa Sede* (Pamplona 1980) 265 p.

⁸ Directorium Christi Ecclesia, art. 7. Applicatur ergo c. 456; si vero aptatio duceret ad decreta edenda, submitterentur, ut de more, recognitioni Apostolicae Sedis: cf. c. 455, § 2.

⁹ Inter munera Congregationis de cultu divino et disciplina sacramentorum recensetur: «Episcopis dioecesanis adest, ut Christifideles sacram liturgiam magis in dies actuose participant (Const. Apost. *Pastor Bonus*, art. 64, § 1).

¹⁰ Inter commenta Directorii placet citare P. TENA, «Directorio para las celebraciones dominicales en ausencia del presbítero. Comentario», in *Phase* 28 (1988) 469-498; G. SAVORIN, «*Assemblées dominicales en l'absence de prêtre: le directoire de la Congregation pour le culte divin*», in *La Maison-Dieu* 175 (1988) 101-109.

Constitutio Sacrosanctum Concilium docet: «Mysterium paschale Ecclesia, ex traditione apostolica quae originem ducit ab ipsa die resurrectionis Christi, octava quaque die celebrat, quae dies Domini seu dominica merito nuncupatur» (SC 106). Duplex elementum in hac descriptione extollitur: peculiaris celebratio mysterii paschalis et nexus cum traditione apostolica, de qua communitates ecclesiales iam a primis temporibus erant valde consciae¹¹, «ita ut etiam persecutionum tempore et in regionibus culturarum quae a fide christiana alienae aut isti oppositae sunt, diem Domini praeterire omnino non voluerint»¹².

Aequum non esset, proinde, dominicam interpretare ad mentem tantum religiositatis naturalis i.e. tanquam diem cultus Deo reddendi et abstinendi a laboribus in signum submissionis ac dependentiae a summa Eius auctoritate.

Novitatem christianam optime iam Ignatius Antiochenus adnotabat christifideles definiens «non amplius sabbatum colentes sed iuxta dominicam viventes, in qua et vita nostra exorta est per Ipsum (Christum) et mortem Ipsius»¹³.

Verum est hanc novitatem per saecula aliquatenus

¹¹ M. ROONEY, *La domenica*, in M. AUGE, A.J. CHUPUNGO, A. NOCENT, M. ROONEY, etc., *Anamnesis 6: L'anno liturgico* (Genova 1988) 67-85; L. BRANDOLINI, *Domenica*, in D. Sartore — A. Triacca (ed.) *Nuovo dizionario di Liturgia* (Roma 1983) 378-392. De Domenica, praeterea, sub aliis diversis aspectibus cf. F. APPENDINO, *Studi recenti sulla domenica*, in *Rivista Liturgica* 64 (1977) 71-97.

¹² *Directorium Christi Ecclesia*, 11.

¹³ S. IGNATIUS ANTIOQUENUS, *Ad Magnesios* 9, 1: ed. F.X. FUNK 1, p. 199.

obscuratam fuisse¹⁴; nunc tamen dominica iterum venit tanquam hebdomadae dies qua Dominus a mortuis resurrexit et qua, ex apostolica traditione, modo peculiari mysterium paschale in Eucharistia celebratur¹⁵, ut clare elucet ex magisterio sive Concilii, sive Apostolicae Sedis, sive Episcoporum tam singulorum quam in Conferentiis congregatorum¹⁶.

2. Quatenus vero est observantia consentanea huic primordiali diei festo? Pergit Vaticanum II: «Hac enim die christifideles in unum convenire debent ut, verbum Dei audientes et Eucharistiam participantes, memores sint Passionis, Resurrectionis et gloriae Domini Iesu, et gratiae agant Deo qui eos regeneravit in spem vivam...» (SC 106).

Tria, proinde, recensentur elementa praecipua pro celebratione dominicali:

«a) adunatio christifidelium in unum ad manifestandam Ecclesiam non sponte sed a Deo convocatam... cui praeest sacerdos personam Christi Capitis gerens;

b) institutio de mysterio paschali per Scripturas quae leguntur et a sacerdote aut a diacono explicantur;

¹⁴ Cf. P. VISENTIN, *Domenica: dalla celebrazione pasquale a osservanza legale*, in *Rivista Liturgica* 64 (1977) 18-38; A. GONZÁLEZ GALINDO, *Día del Señor y celebración del misterio eucarístico. Investigación histórico-teológica de la Misa dominical y de su obligatoriedad desde los orígenes del cristianismo a Cesáreo de Arlés* (Vitoria 1974).

¹⁵ Cf. M. ROONEY, *La domenica*, cit., pp. 87-91.

¹⁶ *Ibid.*, pp. 87-91. De Episcopis inter alia placet citare: COMISION EPISCOPAL DE LITURGIA (Hispania), *El domingo, fiesta primordial de los cristianos*, 22.11.1981, *Ecclesia* 2058 (1981) 1582-1585; CONFERENTIA EPISCOPORUM ITALIAE, *Il giorno del Signore*, 15.7.1984, *Notitiae* 20 (1984) 669-687.

c) celebratio sacrificii eucharistici a sacerdote in persona Christi conficiendi et totius christiani populi nomine offerendi, quo paschale mysterium repraesentatur»¹⁷.

Ex his elementis alia quoque derivantur quae pro nunc omittimus ut minus necessaria nostro argumento¹⁸.

3. Quid tamen quando illa celebratio plena, aut quando elementum primordiale scil. celebratio sacrificii eucharistici, haberi nequit? Ipse Codex agnoscit factum christifidelium quibus «deficiente ministro sacro aliave gravi de causa, participatio eucharisticae celebrationis impossibilis est» (c. 1248, § 2). Ex quo patet non agi de situatione plus minusve particulari sed universali et constante, cuius tres potiores typi describuntur a Directorio:

a) *primus*, vicens iam a primis temporibus, annectitur ipsae evangelizationi: «christiani... ingenti numero aucti, dispersi inveniebantur in multis locis, interdum dissitis, ita ut sacerdos eos unaquaque dominica adire non posset»¹⁹.

b) *secundus*, etiam notus in historia Ecclesiae sive antiqua sive moderna, scil. status persecutionis religiosae, cui accedit immanis limitatio libertatis religiosae cuius consecrarium est: «fidelibus omnino vetatur congregatio dominicalis»²⁰.

c) *tertius*, denique, semper magis patens nostro tempore, derivatur ex progrediente penuria sacerdotum, quam sociologi acerbiores praemonent in proxi-

¹⁷ Directorium Christi Ecclesia, 12.

¹⁸ Cf. *Ibid.*, 14-16; videas etiam CEI, *Il giorno del Signore*, 15.7.1984, *Notitiae* 20 (1984) 669-687.

¹⁹ Directorium Christi Ecclesia, 3.

²⁰ *Ibid.*, 4.

mis decenniis²¹; vel etiam ex exiguitate ac non raro etiam ex dispersione communitatum christifidelium. Quo fit ut «in pluribus regionibus unaquaeque paroecia non possit Eucharistiae celebratione frui quavis die dominica»²².

Rebus sic stantibus, quid de celebratione dominicali apud istas gentes quibus una aliave ratione vetita est celebratio plena recepta in traditione et descripta sive in doctrina sive in disciplina Ecclesiae?

II. DE MEDIIS SUPPLETIVIS CELEBRATIONES DOMINICALIS

1. Antequam Directorium media suppletiva celebrationis dominicalis proponat, sollicitum est de verificatione impossibilitatis celebrationis plenae, etiam adhibitis quibusdam mediis extraordinariis sive ex parte christifidelium («... perpendendum est primum num possint fideles sese transferre in ecclesiam cuiusdam loci propinquioris ad eucharisticum mysterium ibi participandum»)²³ sive ex parte sacerdotum («... examinentur, praeter statum paroeciarum, et possibilitas recurrendi ad presbyteros, etiam religiosos, curae animarum non directe addictos, et frequentia Missarum in diversis paroeciis et ecclesiis»)²⁴.

Ex modo sese exprimendi Directorii necnon ex instrumento iuridico adhibito patet quod non agatur de conditione sine qua non ad novas possibilitates instaurandas in dioecesi sed de commendatione pastorali iuxta quam procedant Episcopi in exercendo munere pastoris magis via convictionis quam imperii.

²¹ *Ibid.*, 5.

²² *Ibid.*

²³ *Ibid.*, 18.

²⁴ *Ibid.*, 25.

2. Liceretne appellare ad Eucharistiam pluries in die celebrandam ultra trinationem et amplius? Nonne ius fidelium ad Eucharistiam praevalere debet normae c. 905, § 2?

In Directorio datur levis mentio de hac re: «... multis presbyteris munus commissum est pluries Missam celebrandi die dominica in diversis ac dissitis regionibus». Etsi clare non pateat, supponi potest hanc praxim non ultra ius commune procedere, ideoque ad maximum binationem in sabbato postmeridie et trinationem in domenica haberi. Mens tamen legislatoris suadet moderationem in usu huius facultatis exceptionalis: «Haec vero praxis non semper opportuna videtur neque paroeciis proprio pastore carentibus, neque ipsis sacerdotibus»²⁵.

Revera, quamvis bonum sit ac necessarium celum pastorem sacerdotum fovere²⁶, neque obliviscantur obiectiones contra talem solutionem: ex parte paroeciarum, quia «rariores sed longiores visitationes sacerdotis, in quibus [fideles] possint confiteri, et fieri possit instructio aut homilia in Missa, interdum utiliores sunt quam brevissima visitatio, singulis hebdomadibus, quae vix sufficit ad devote celebrandum Missam»²⁷; ex parte sacerdotum, quia talis missarum

²⁵ *Ibid.*, 5.

²⁶ P. Tena, quamvis contrarius sit multiplicationi indiscriminatae missarum ex parte eiusdem sacerdotis, tamen etiam monet ne aspernantur possibilitates stantes in iure communi: «Existe el peligro de dejar comunidades desatendidas, y existe asimismo el peligro de magnificar los inconvenientes personales para multiplicar la celebración» (*Phase* 28, 1988, 472).

²⁷ L. BUUS, *Facultates et privilegia episcoporum* (Romae 1964) 19.

assuetudo ac multiplicatio vix non nocebit devotioni et vitae spirituali si nimis protrahatur.

Eiusdem opinionis sunt Episcopi dioecesium qui talem penuriam sacerdotum patiuntur, aliam viam quaerentes pro cura pastoralis fidelium²⁸, non aliter ac ipsum Directorium de quo agimus. Quibus omnibus favet ipsa traditio canonica, missarum multiplicationi ex parte eiusdem sacerdotis contraria²⁹.

3. Nova quaedam via ad celebrationem plenam habendam suggesta adhuc fuit tempore codificationis: «detur facultas Episcopis assignandi, ubi dessunt sacerdotes, alii hebdomadae diei praeceptum partici-

²⁸ «Le ministre de l'Eucharistie ne peut être converti en "diseur de messe", sans préjudice pour la messe elle-même, pour le peuple chrétien et pour le prêtre» (Exmus. Jullien, Beauvais 1979, in M. BRULIN, *Les assemblées dominicales en l'absence de prêtre. Situation française en 1987*, in *La Maison Dieu* 175 [1988] 153). Non aliter Exmus Le Bourgeois, en 1984: «j'autorise les prêtres, chargés d'un ministère paroissial, à célébrer deux messes dans la matinée du dimanche. Ils pourraient, en plus, célébrer une messe du samedi soir ou une messe du dimanche soir... l'Eucharistie doit être célébrée avec dignité ... à toujours courir, le prêtre risque de devenir un étranger aux communautés dont il doit, au contraire, par charge pastorale, partager les espoirs et les inquiétudes» (*Ibid.*, pp. 153-154).

²⁹ Cf. c. 905, simul ac CIC 1917, c. 806 cum eius fontibus. Videas etiam J. MANZANARES, *Eucaristía*, in J. MANZANARES, A. MOSTAZA, J.L. SANTOS, *Nuevo derecho parroquial* (Madrid 1988). 189-191. Hoc non obstante, si necessitas quaedam occasionalis (non permanens, quia illa quae de more occurrunt iam contemplata fuerunt a legislatore) daretur, non excludenda videtur solutio «per modum actus» via dispensationis ex parte Episcopi Dioecesani (cf. c. 87), cum moderatione applicanda et non obligatorie imponenda (ut videtur). Cf. etiam U. NAVARRETE, *El sacramento de la Eucaristía*, in U. NAVARRETE-F.J. URRUTIA, *Nuevo derecho canónico. Presentación y comentario* (Caracas 1987) 188-189.

pandi Missae celebrationi, firmis ceteris obligationibus dierum festorum»³⁰. Sed haec solutio reiecta est, «quia observatio huiusmodi obligationis perdifficilis evaderet»³¹ liturgistis, ut plurimum, consentientibus aliis quoque de causis³², et salva semper obligatione morali subveniendi necessitati Eucharistiae, quae omnes christifideles urget, si opportunitatem habeant, quamvis talis oportunitas locum habeat extra congregationem dominicalem³³.

4. Mediis iam exclusis sive ordinariis sive extraordinariis ad celebrationem plenam die dominica habendam, venit iam tractatio de celebratione non plena, sed unica pro tempore possibile, qua fideles in sua necessitate reficiantur. Haec ipsa plures formas induere potest, quarum una praecipue in Directorio commendatur: *celebratio verbi Dei* «quae communione eucharistica oportune compleri potest. Ita, christifideles insimul nutriri possunt de Verbo et Corpore Christi»³⁴.

Agitur de re quae iam a tempore reperitur in traditione liturgica, ante Vaticanum II, motionibus et biblica et liturgica insimul cooperantibus³⁵, quaeque

³⁰ Cf. *Communicationes*, 12 (1980) 361).

³¹ *Ibid.*

³² Cf. F. APPENDINO, «*Santificazione della festa. Discussione dei teologi e pastoralisti negli ultimi cinque anni*», in AA.VV., *Chiesa per il monto*, t. II (Bologna 1974) 578-594.

³³ Nonnulli auctores amplius adhuc pergunt: «Gli impediti... sono dispensati dall'assemblea domenicale, ma non possono certo ritenersi dispensati dall'eucaristia durante la settimana. La ragione è classica: non è dispensato dal mangiare chi non può sedersi a mensa con gli altri» (F. APPENDINO, *l.c.*, pp. 580-581).

³⁴ *Directorium Christi Ecclesia*, 20.

³⁵ Cf. A. TRIACCA, *Bibbia e liturgia*, in D. SARTORE-A. TRIACCA (ed.), *Nuovo Dizionario di liturgia*, 175-197. Magnum

magnum obtinuit favorem apud christifideles³⁶. Dein commendata fuit in Constitutione *Sacrosanctum Concilium*³⁷ atque adaucta ordinatione sat simplici sed valida apud Instr. *Inter Oecumenici*³⁸, ad analogiam liturgiae verbi in Missa composita. Sic iam perplures habuit applicationes, inter quas eminet haec: «In locis quae sacerdote carent, si nulla copia est Missam celebrandi diebus dominicis et festis de praecepto, sacra verbi Dei celebratio, de iudicio Ordinarii loci, foveatur diacono vel etiam laico ad hoc deputato ei praesidente»³⁹.

Anno 1965 hae celebrationes adauctae sunt, ut adnotat Kaczynski, mediante possibilitate ministrandi sacram communionem ope laicorum; primitus ex concessione sat singulari in favorem Germaniae orientalis, dein ampliata ad universam Ecclesiam⁴⁰. Si quandoque abusus dati sunt, v. gr. quia laici moderatores harum celebrationum ipsam precem eucharisticam recitabant, Congregatio competens contra eos monuit, sed firma manente commendatione celebrationis ut talis⁴¹.

influxum exercuit Congressus «Bible et Liturgie», a 25 ad 28 iulii 1957 apud Strasbourg celebratum.

³⁶ Sufficit resonantiam considerare quam Congressus Argentinensis (Strasbourg) a. 1957 obtinuit apud ephemerides de pastoralis liturgica: cf. A. TRIACCA, *l.c.*, note 17-18.

³⁷ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 35.4

³⁸ Instr. *Inter Oecumenici* 37.

³⁹ *Ibid.*, aliae applicationes fuerunt celebrationes postmeridianae, praesertim quibusdam in diebus, sive ad cognitionem et amorem S. Scripturae fovendum simul ac religiosam fidelium institutionem, frequenter etiam ad aliquales celebrationes veluti nuptias, funera, etc. extra Missam habita.

⁴⁰ Cf. R. KACZYNSKI, «De liturgia dominicali sacerdotibus deficientibus celebrata», in *Notitiae* 8 (1972) 378-379.

⁴¹ Cf. Instr. *Liturgicae instaurationes*, 5 sept. 1970, n. 6.e, AAS 62 (1970) 700.

Ad novam praxim firmandam iuvamen prestitit et ecclesiologia communionis, cum intensiore participatione laicorum in missione Ecclesiae adimplenda⁴² et nova disciplina de ministeriis non ordinatis (c. 230).

5. Hisce iam expositis, quid confert Directorium ad rem nostram?

Confirmat favorem erga talem celebrationem, die dominica, deficientibus presbyteris⁴³, aeque a Cardinali Decourtray conclamata tanquam «perfectior inter solutiones imperfectas»⁴⁴; atque adiungit orientationes et praescripta, ut plurimum suadente experientia, de quibus statim dicam.

Notemus, attamen, realismum Directorii dum et agnoscit impossibilitatem, in quibusdam situationibus, harum celebrationum prae aliis commendatarum, et suggerit alia media faciliora, ne frustretur finis de dominicali observantia v. gr. «ut orationi “per debitum tempus, personaliter aut in familia vel pro opportunitate in familiarum coetibus vacent” (c.

⁴² Cf. relationem finalem synodi episcoporum a. 1985, *Exeunte Synodo*, II.C.6, in OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. VI (Roma 1988) 9243-9245. Cf. etiam Exhort. Apost. *Christifideles laici*, cap. II, n. 18-31.

⁴³ Sic patet ex explicita declaratione Directorii, nn. 19-20, necnon ex facto ipso publicationis eius, simul ac dicit de progrediente necessitate huius medii suppletivi si dies dominica apud omnes coetus fidelium celebranda est. De praevisione quoad copiam sacerdotem, annis venturis, in Gallia cf. M. BRULIN, *Les assemblées dominicales en l'absence de prêtre: situation française en 1987. Le resultat d'une enquête nationale*, in *La Maison Dieu* 175 (1988) 111-167.

Restat, praeterea, possibilitas de qua in Directorio Oecumenico, 47 (AAS 59, 1967, 588), etsi praevisio est de fidei singulo, non de coetu.

⁴⁴ Cf. M. BRULIN, *l.c.*, p. 160.

1248, § 2). In his casibus, etiam radiotelevisivae sacrarum actionum transmissiones iuvare possunt»⁴⁵.

Immo, Directorium et considerat christifideles, persecutione aliave gravi de causa Eucharistia privatos, eosque hortatur ne deficient, quia gratia Redemptoris eis utcumque non deest «Etenim, cum voto sacramenti intime animati atque cum universa Ecclesia precando coniuncti, Dominum invocant ad eumque corda sua erigunt, ipsi virtute Spiritus Sancti, cum Ecclesia, vivo Christi corpore, et cum Domino ipso communione fruuntur... ac proinde sacramenti fructus percipiunt»⁴⁶.

III. DE CONDITIONIBUS AD CELEBRATIONEM DEQUE IPSA CELEBRATIONE

Suppositis iam illis omnibus quae contextum doctrinalem et necessitatem procurandi celebrationem de die dominica, quamvis non plenam, respiciunt, veniamus ad ordinationem eius sive canonicam sive liturgicam.

De ordinatione canonica

Ad indolem harum celebrationum sub aspectu canonico melius definiendam, Directorium varia continet elementa magni ponderis, quae sic placet recollere:

1) celebrationes hae commendantur, non precipiuntur, non aliter ac in c. 1248, § 2. Si quandoque,

⁴⁵ Directorium *Christi Ecclesia*, 32.

⁴⁶ *Ibid.*, 34: non est nisi citatio Congregationis pro Doctrina Fidei, *Epistula... de quibusdam quaestionibus ad Eucharistiae ministrum spectantibus*, 6 aug. 1983, *AAS* 75 (1983) 1007.

decursu codificationis, «suggestum est ut praeceptum fiat de obligatione interveniendi alicui celebrationi verbi Dei, quando Misa ob carentiam sacerdotum celebrari non potest», responsio fuit negativa: «Consultores censent hae omnia pertinere ad curam pastorem, cuius erit commendare ac fovere, quin multiplicantur obligationes iuridicae»⁴⁷.

Hoc tamen non obstat quod sint moraliter obligatoriae si quandoque deveniant medium necessarium ad vitam christianam colendam⁴⁸.

2) celebrationes commendantur tanquam solutio *suppletiva*, non vero alternativa celebrationis eucharisticae dominicalis; aliis verbis, qui potest Missam participare, non debet hac solutione quiescere. Consequentia est: conventus seu congregatio huiusmodi «numquam haberi potest die dominica in locis in quibus eadem die Missa vel celebrata vel celebranda est, vel celebrata fuit vespere diei praecedentis, etsi lingua diversa»⁴⁹; vel etiam: «objectivum persequendum remanet celebratio Eucharistiae, verum memoriale mortis et resurrectionis Domini»⁵⁰, ideoque tales conventus non auferant sed potius augeant apud christifideles «desiderium celebrationem eucharisti-

⁴⁷ *Communicationes*, 12 (1980) 361.

⁴⁸ P. Tena, monens de obligatione subveniendi christifideles qui ob sacerdotum penuriam sacrae Eucharisticae celebratione privantur, ait: «... está en juego, en gran parte, la permanencia de la vida cristiana» (*Phase* 28, 1988, 472). Placet etiam citare testimonium Archiepiscopi ab Insulis Filipinis: «... si è potuto notare quanto abbia servito alla ripresa della fede la celebrazione domenicale presieduta da laici» (*Notitiae* 20, 1984, 827).

⁴⁹ *Directorium Christi Ecclesia*, 21.

⁵⁰ PAULUS VI, Allocutio ad quosdam episcopos Galliae sacra limina visitantes, 26 martii 1977, *AAS* 69 (1977) 465, *cit.*, in *Directorio*, nota 20.

cam participandi», eosque magis promptiores reddant ut eidem intersint⁵¹.

3) celebrationes ita componantur et ordinentur ut etiam apud rudos ac simplices christifideles «sedulo vitetur quaelibet confusio inter huiusmodi conventus et celebrationem eucharisticam»⁵², cuius est «vere centrum esse totius christianae vitae cum pro universa Ecclesia tum pro eiusdem Ecclesiae congregationibus localibus»⁵³; nihil proinde officiat essentiali momento, quod pro Ecclesia habent sacramenta Ordinis et Eucharistiae⁵⁴.

4) celebrationes sint vere actiones cultus publici i.e. non tantum celebrationes in Ecclesia sed celebrationes Ecclesiae⁵⁵; quapropter «convocationes istius modi... ne instituantur nisi *convocante episcopo* et sub *ministerio pastoralis parochi*»⁵⁶. *Convocante episcopo*, quia eius est «decernere num in sua dioecesi habendae sint regulariter dominicales convocationes sine Eucharistiae celebratione, atque de iis non tantum generales sed etiam particulares normas definire, ratione habita locorum et personarum»⁵⁷: merito enim praedicatur magnus sacerdos, mysteriorum Dei praecipuus dispensator atque totius vitae liturgicae in

⁵¹ *Ibid.*, 22.

⁵² *Ibid.*

⁵³ Instr. *Eucharisticum Mysterium*, 25 maii 1967, n. 6, AAS 59 (1967) 544-545.

⁵⁴ CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, *Epistula cit.*, supra nota 46, p. 1008.

⁵⁵ De universa hac quaestione cf. S. MARSILI, *La liturgia, momento storico della salvezza*, in B. NEUNHEUSER, S. MARSILI, M. AUGÉ, R. CIVIL, *Anámnese 1: La Liturgia, momento nella storia della salvezza* (Marietti 1974) 108-156.

⁵⁶ *Directorium Christi Ecclesia*, 24.

⁵⁷ *Ibid.*

Ecclesia sibi commissa moderator, promotor atque custos (cf. c. 835, § 1); ipse tamen non procedat nisi «consilio presbyterali audito»⁵⁸, ut de more in negotiis maioris momenti (cf. c. 500, § 2). *Sub ministerio pastoralis parochi*, cuius est «certiorem facere episcopum de opportunitate tales celebrationes in sua ditione peragendi, christifideles ad eas praeparare»⁵⁹, penes eos adlaborare «ut communionis paroecialis curam habeant, iidemque tum dioecesis tum Ecclesiae universae membra se sentiant operaque ad eandem communionem promovendam participant vel suscitant» (c. 529, § 2). Directorium adhuc pergit: «parochi est... interea per hebdomadam eos visitare, tempore opportuno pro ipsis sacramenta celebrare, praesertim Paenitentiam»; fructus tandem erit validissimus quod talis communitas vere experiatur quomodo die dominica congregatur non absque presbytero, sed in eius absentia, imo, in eius expectatione⁶⁰.

5) Huiusmodi celebrationes, quia actiones sunt cultus publici, moderari debent non a quocumque sed a persona legitime deputata. Talis est, praecipue, diaconus, si adest: «diacono enim, cum ad pascendum populum Dei eumque magis augendum ordinatus sit, competit orationem dirigere, evangelium proclamare, homiliam facere, et Eucharistiam distribuere»⁶¹.

Si vero diaconus deficit, «designentur a parochio laici quibus committenda erit cura celebrationum»⁶²: imprimis acolythi et lectores, dein alii laici, viri et mulieres, qui vi baptismatis et confirmationis, hoc

⁵⁸ *Ibid.*

⁵⁹ *Ibid.*, 27.

⁶⁰ *Ibid.*

⁶¹ *Ibid.*, 29.

⁶² *Ibid.*, 30.

munus exercere possunt, addita missione canonica⁶³; «ipsorum enim munus non est proprium, sed suppletivum, cum ipsum exercent “ubi necessitas Ecclesiae id suadeat, deficientibus ministris” (c. 230, § 1)», et semper sub auctoritate parochi⁶⁴. «Seligendi sunt attentis eorum qualitatibus vitae, quae Evangelio consonent, et attendatur etiam ut a fidelibus bene accipi possint»⁶⁵.

De ordinatione liturgica

Quaerimus nunc de orientationibus et praescriptis Directorii ad celebrationes huiusmodi rite ordinandas tam in eius structura quam in munere explendo sive a moderatore sive ab universo coetu fidelium. Hae sunt praecipua elementa notanda:

1) de tenore generali actionis: «Ordo celebrationis ita disponatur ut orationi prorsus faveat, et non merae adunationis sed liturgicae congregationis imaginem ferat»⁶⁶. Quapropter liceat semper applicare

⁶³ Sic patet tam natura muneris quam insistentia de interven-
tu episcopi necnon praescriptio: «Designatio habitualiter erit ad
tempus, et publice manifestanda est communitati; pro ipsis invo-
catio ad Deum fieri convenit in aliqua celebratione» (*Ibid.*, 30).

⁶⁴ *Ibid.*, 31.

⁶⁵ *Ibid.*, 30. De orientationibus dioecesanis pro selectione
pressius determinanda cf. M. BRULIN, *Les assemblées dominicales*,
cit., pp. 152-155. Iuxta Directorium, Episcopi quoque est
«delegatum vel peculiarem commissionem designare qui prospiciat
ut celebrationes recte peragantur, eosque seligere qui illas
promoveant itemque providere ut ipsi apte instruantur» (n. 26).

⁶⁶ Directorium *Christi Ecclesia*, 35. Merito recolatur theologia
de adunatione fidelium: cf. A. CUVA, *Assamblea*, in D.
SARTORI-A. TRIACCA, *Nuovo dizionario di liturgia*, pp. 118-131; ac
praesertim de hac peculiari adunatione: cf. F. MESSNER, *Die
sonntägliche Versammlung der Gemeinde zum Priesterlosen Gotte-*

congregationi de qua agitur: «Christus Ecclesiae suae semper adest... dum supplicat et psallit Ecclesia» (SC 7). Sed merito etiam dissuadetur a hieratismo sectando, nam in genere dici potest ne conventus dominicalis absente presbytero tenorem diversum habeat ac Missa dominicalis quandoque ibi celebrata⁶⁷.

2) de moderatore celebrationis: si agitur de laico, ipse se gerat tamquam unus inter pares, uti fit in Liturgia Horarum quando non praeest minister ordinatus, et in benedictionibus quando minister est laicus; «solum et totum id agat quod ad officium illi commissum pertinet» (SC 29); verbis ne utatur quae ad presbyterum vel diaconum pertinent; vestem ferat quae hoc officium non dedecet; sede praesidentiali ne utatur, sed potius extra presbyterium alia sedes praeparetur; curam habeat, in apparanda celebratione, de convenienti officiorum distributione, ex. gr. pro lectionibus, pro cantibus, etc.⁶⁸.

3) de ordine servando: ipse duabus partibus constat, scilicet, celebratione verbi Dei et distributione communionis, iuxta schema propositum in n. 40. Textus orationum et lectionum de more desumitur ex Missali Romano et ex lectionario: «ita christifideles, cursum anni sequentes, orabunt et verbum Dei audient in communione cum aliis Ecclesiae communitatibus»⁶⁹, accepta etiam possibilitate aptationum ex parte Conferentiae Episcoporum vel ipsius

sdiensl, in *Liturgisches Jahrbuch* 29 (1979) 226-231. Videas etiam *Directorium*, 50.

⁶⁷ Cf. P. TENA, *Phase* 28 (1988) 492.

⁶⁸ Cf. *Directorium Christi Ecclesia*, 39, 31, 40.

⁶⁹ *Ibid.*, 36. P. Tena animadvertit: «... cuanto más puedan seguir el ritmo de los libros litúrgicos, mejor será para experimentar su condición de asamblea legítima dentro de la Iglesia local» (*l.c.*, p. 492).

Episcopi, «attentis locorum et personarum adiunctis»⁷⁰. His tamen dictis, nec praetermitatur possibilitas celebrandi aliquam partem Liturgiae Horarum, ex. gr. Laudes matutinas vel Vesperas, in qua etiam lectiones dominicae currentis inseri possunt»⁷¹. Quoad distributionem communionis servantur ea quae in Rituali Romano de sacra communione extra Missam dicuntur⁷².

4) de communione ecclesiali fovenda in ipsa celebratione: hoc iam obtinetur ex ipso facto celebrationis legitimae; sed impleatur adhuc sive monitione initiali (vel in alio momento, «moderator opportune mentionem faciat communitatis cum qua illa dominica parochus Eucharistiam celebrat, et fideles hortetur ut spiritualiter cum illa se uniant»)⁷³ sive in oratione fidelium («Ne omittantur intentiones pro tota dioecesi ab episcopo forsitam propositae»)⁷⁴, sive in conclusione («proponantur annuntiationes vel notitiae quae ad paroecialem vel diocesanam vitam spectant»)⁷⁵.

IV. DE ANIMADVERSIONIBUS ET VOTIS

Quae iam supra exposita fuerunt, praetium Directorii confirmant veluti aptum instrumentum ad diei dominicae fovendam celebrationem etiam tunc quando «deficiente ministro sacro aliave de causa, partici-

⁷⁰ *Directorium Christi Ecclesia*, 41.

⁷¹ *Ibid.*, 33. «Insuper, quibusdam in adiunctis, apta unio haberi potest inter celebrationem diei Domini et celebrationes quorundam sacramentorum, et praesertim sacramentalium, secundum uniuscuiusque communitatis necessitates» (*Ibid.*, 20).

⁷² *Ibid.*, 46.

⁷³ *Ibid.*, 42.

⁷⁴ *Ibid.*, 45.

⁷⁵ *Ibid.*, 49.

patio eucharisticae celebrationis impossibilis evadit» (c. 1248, § 2); comendant quoque auxilium prestitum Episcopis ut ipsi sive singuli sive in Conferentiis ad eiusmodi celebrationes ordinandas et exequendas iuventur.

Nonnulla tamen praestat supra cetera adnotare ad modum sive animadversionis sive voti.

1) *De natura huiusmodi celebrationum.* Ex iam dictis patet earum natura non alternativa sed suppletiva, quod quidem nec offendit valori ac momento earum, quando Missae sacrificium haberi nequit, nec obscurat bonum persequendum esse ipsum memoriale mortis ac resurrectionis Domini. Consecrarium ergo talium conventuum sit non auferre sed potius augere apud christifideles desiderium celebrationem eucharisticam participandi, eosque magis promptiores reddere ut eidem intersint.

Problema tamen exurgere potest. Iuxta principia, si aliquis christifidelis potest se transferre, die dominica, in locum ubi celebratio eucharistica habebitur sic faciat, omitta congregatione locali. Fautores vero harum celebrationum absente sacerdote conqueruntur de tali dispersione, nam destrueret sensum communitarium in vita religiosa parociae ipsosque hos conventus tandem aliquando disolveret, eo etiam quod fideles ut plurimum validiores ab eis habitualiter discederent. Quid ergo⁷⁶?

⁷⁶ Paulus VI agnoscit hanc difficultatem expositam ab Episcopis Galliae in visitatione ad limina, 26 martii 1977 (AAS 69, 1977, 465); Kaczynski, recolens experientiam Germaniae Orientalis scribit: «Communitatibus solummodo nocivum est, si aliqui fideles, qui seipsos pissimos habent, congregationi liturgiam verbi cum Communionem celebranti se subtrahunt et ad «Missam multo pretiosiore», uti dicunt, participandam in aliam civitatem recedunt» (R. KACZYNSKI, *De liturgia dominicali sacerdotibus defi-*

2) *De earum obligatione*. Sicut in Codice, in Directorio hae celebrationes absente presbytero valde commendantur, sed non praecipiuntur: ne multiplicentur obligationes iuridicae, ut dixerunt codificatores⁷⁷, vel ne paritas cum Missa concludatur ut dicunt alii.

Iam vero, iuxta praevisiones demographicas, huiusmodi celebrationes iam numerosae etiam in nationibus traditionis christianae, devenient numerosiores tempore venturo; immo, data saecularizatione societatis, fient de facto conditio necessaria ad sustinendam vitam christianam plurimorum christifide-

cientibus celebrata, in *Notitiae* 8, 1972, 379); eodem modo M. BRULIN, «Les assemblées dominicales», *cit.*, p. 157, recensens responsiones cuidam investigationi peractae in Gallia, a. 1986.

Pro nostra opinione, solutio quaestionis requirit praeprimis *statum quaestionis* apte proponere. Agitur: 1) de personis quae etsi praecepto non obligatis ex incommodo proportionate gravi (cf. M. ZALBA, *Theologiae moralis summa*, t. 2, Madrid 1953, 187-189), vi convictionis de valore supereminente Eucharistiae prae aliis celebrationibus, possent et vellent in locum se transferre ubi Eucharistia habebitur; 2) de solutione non mere individuali sed etiam communitaria, attenta essentiali dimensione communitaria salutis prout prostat ex ipsa imagine Populi Dei (cf. LG 9); 3) de solutione non theoretica sed practica, i.e. nullum dubium habetur de valore potiore Eucharistiae prae aliis celebrationibus, sed, adiunctis omnibus perpensis in casu, quaenam est via aptior et potior ad sustinendam conscientiam de Paschate hebdomadaria et de necessitate et gustu Eucharistiae in persona et in coetu; 4) de solutione non permanente sed transitoria, i.e. donec talia dentur adiuncta necessitatis, nec definitiva i.e. sempe eadem, sed cum possibilitate alternativa.

His dictis et attento quod Directorium, loquens modo sat generali, etsi suadest solutionem *individualement*, eam tamen non imponit, nobis videretur legitima etiam solutio *communitaria*; vel melius, non videtur solutio universaliter valida exstare, sed singulis pro casibus, omnibus bene perpensis, quaerenda.

⁷⁷ *Communicationes* 12 (1980) 361.

lium. Rebus sic stantibus quaeritur utrum expediat has congregationes dominicales tantum commendare aut etiam praecipere. Si hortatio sufficiens visa non est pro Eucharistia participanda diebus dominicis et festis (cf. c. 1248, § 1), sufficiet pro hac diversa ac tenuiori celebratione? Mens, ut patet, non est multiplicare obligationes iuridicas sed quod lex functionem pedagogicam absolvat ad detegenda et sustinenda necessaria ad vitam christianam^{77b}.

3) *De earum moderatore*. Nemini latet conditionem sine qua non ad huiusmodi congregationes dominicales diuturno usu firmandas esse «christifideles praeparare moderatores earum, sive laicos sive religiosos»⁷⁸. Si experientiam consulimus in hac re, unanimitas habetur circa necessitatem praeparationis, sive remotae sive proximae, adiunctis personarum, locorum et temporum aptatae⁷⁹; sententia non unanimis sed valde cohaerens etiam datur circa quaestiones in concreto pertractandas pro tali institutione⁸⁰.

Hae omnia nonne postulant novam consuetudinem de relatione inter clericos et laicos, non mere receptivam (seu discentem) sed etiam activam pro munere suo necnon et consciam obligationis sese impendendi in servitium fratrum etiam ut divinum

^{77bis} Omnibus tamen perpensis placet, saltem pro nunc, solutio actualis de commendatione, non de praecepto. Talis fuit quoque sententia coetuum linguarum durante Colloquio Brixien-si, adherens menti sive coetus codificationis sive hodierni Directorii: procedatur via convictionis potius quam praecepti, dum praeterea melius vitatur aequiparatio quaelibet cum ipsa celebratione eucharistica apud christifideles.

⁷⁸ PAULUS VI, *l.c.*, *supra* nota 76.

⁷⁹ Cf. M. BRULIN, *l.c.*, pp. 150-152, 154-155.

⁸⁰ *Ibid.*, pp. 153-154.

salutis nuntium ab universis hominibus cognoscatur et accipiat (cf. c. 225, § 1)⁸¹? Quaestionem etiam ponit de convenientia vel minus christifideles singulos pro tali moderatione constituendi vel potius parvum coetum apud quem compartitio responsabilitatis vigeat et melius appareant moderatores non tam ut delegatos parochi quam ut participes cooperationis et sollicitudinis communitatis in casu concreto, etsi sub ministerio pastoralis parochi⁸².

4) *De verbi Dei explanatione.* Verbi Dei explanatio in huiusmodi celebrationibus est elementum magni ponderis, ut patet tam ex Directorio quam ex experientia. Si ageretur de homilia proprie tali, reservaretur sacerdoti vel diacono (cf. c. 767, § 1). Sed nonne applicari potest c. 766 de praedicatione laicorum in ecclesia, «si certis in adiunctis necessitas id requirat aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum conferentiae praescripta»? Sic videtur experientia commendare⁸³ suppositis supponendis i.e. si tales moderatores laici doctrinam Ecclesiae apte cognoscant et arte pedagogica sufficienter praestent.

⁸¹ Cf. H. LEGRAND, *Crises du clergé: hier et aujourd'hui. Essai de lecture ecclésiologique*, in *Lumière et vie* (33 (1984) n. 167, 90-106.

⁸² Cf. P. TENA, *Phase* 28 (1988) 487; M. BRULIN, *l.c.* p. 158.

⁸³ Kaczynski scribit de experientia Germaniae Orientalis: «...primo tantummodo epistola parochi aut explanatio typis edita legebatur. Mox tamen laici sentiebant proprium sermonem libere prolatum aptiorem esse ad persuadendum ideoque addere cupiebant quae propria mente cogitaverunt. Ita factum est, ut ipsi propriam explanationem, quam consulto non vocant "homiliam" vel "sermonem" praepararent, et de ea cum paracho colloquium instituerent, antequam illam proferrent...» (*l.c.*, p. 379). De hac re cf. etiam H. LEGRAND, *I laici e la predicazione*, in *Sacra Doctrina* (29 (1984) 340-357.

5) *De receptione ex parte fidelium*. Nixus Directorii ad vitam christianam fovendam et ad sensum communitarium fidei excolendum et roborandum, ut revera finem obtineat, praeerquirat receptionem ex parte fidelium, i.e. eius spiritualem et practicam applicationem. Sed hoc rursus postulat, ait Directorium, «ut fideles de pleniori sensu congregationis diei dominicae bene instructi, novis condicionibus bono animo se conforment»⁸⁴.

Proinde in hac re sicut in pluribus aliis, pastores non *via facti* sed praevia opportuna illustratione procedant, ut huiusmodi celebrationes dominicales christifideles diligant, ab eisque discant notitiam et gustum potioem Eucaristiae, adauctum ex ipsa difficultate eam habendi de more.

Placet praeterea aperte proclamare iuvamen praestitum, in hoc munere explendo et in transitu perficiendo ad novas condiciones pastorales apud singulas communitates paroeciales, ex parte feminarum vitam consecratam profitentium, ut scribit documentum Congregationis pro Gentium Evangelizatione, anno 1976⁸⁵. «... desiderari potest ut Hierarchia respondeat disponibilitati et bono animo feminarum vitae consecratae sympathia quae portet in actum plenitudinem, vere latam, possibilitatum»⁸⁶. Quae omnia adhuc amplius iterari possunt nunc, celebrato

⁸⁴ Directorium *Christi Ecclesia*, 18; videas etiam n. 26.

⁸⁵ «En combien de paroisses déjà, en l'absence du prêtre, n'est-ce pas une religieuse qui assume la responsabilité, la présidence et la direction de l'assemblée paraliturgique communautaire, du dimanche et de la semaine, et se charge d'exhorter les fidèles à leurs devoirs de chrétiens» (SACRA CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE, *La fonction evangelisatrice*, 19 nov. 1976, in X. OCHOA, *Leges Ecclesiae*, vol. 5, Romae 1980, 7265).

⁸⁶ *Ibid.*

Synodo de vocatione et missione laicorum in Ecclesia et in mundo⁸⁷.

Conclusio

Haec igitur vobis perpendenda propono circa Directorium *Christi Ecclesia*, duo tamen aduc addens iam dictis:

1) novus quidam mentis habitus confirmatur non disiunctivus (aut totum aut nihil) sed integrativus (bonum ideale non impediat bonum possibile, datis in adiunctis); quod in aliis dicebatur, nunc applicatur quoque congregationibus dominicalibus ad sic dictam Pascham hebdomadariam celebrandam;

2) nova quoque roboratur necessitudo inter christifideles laicos et clericos novaque laicorum participatio, etiam quando curis temporalibus occupantur, «ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus cognoscatur et accipiatur» (c. 225, § 1). «Quapropter laici sollerter in profundiore cognitionem veritatis revelatae incumbant, et instanter a Deo sapientiae donum impetrent» (LG 37).

JULIO MANZANARES

⁸⁷ Cf. IOANNES PAULUS II, Exhort. Ap. *Christifideles laici*, 30.12.1988, Cap. II, nn. 18-31.